



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De patientia Christianorum. tit. 282

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

SUMMA DOCTR. CHRIST.  
DE PATIENTIA CHRL.  
*stianorum.*  
TITVLVS CCLXXXII.



AL VAL TOR noster Christus Matt.  
26. dum in horto crudeliter tractaretur  
& caperetur & ligaretur, voluit Petrus  
defendere Christum, & eduxit gladium,  
& percussit seruum pontificis, & absce-  
dit auriculam eius dextram. sed corripitur a Christo,  
& iubetur gladium mittere in vaginam, & inquit:  
Nunquid putas me non posse rogare patrem, ut mit-  
tat mihi plus quam 12. legiones angelorum? &cet.  
Subinde sanat auriculam serui, sed tacto illo Chri-  
stus voluit ostendere, ut Christiani, si persecutionem  
patiantur propter fidem & veritatem catholicam, se  
non vindicent aut defendant, nec verbo, nec opere,  
sed gladium in vaginam mittant, id est, omnem im-  
patientiam cohibeant. Vult enim Deus ad nostram  
coronam nos pati propter testimonium fidei & veri-  
tatis catholicæ, Matth. 5. Beati qui persecutionem pa-  
tiuntur, &cetera. Alioqui Deus in momento posset  
occidere omnes inimicos fidei, sed exspectat ad pa-  
tentiam, Rom. 2. & propter nostram coronam.

Secundò, sic sanat auriculam serui, licet in eum  
grassatus fuerit, quo ostendit etiam nos debere orare  
pro nostris inimicis, ut simus filii patris, qui in celis  
est, Matth. 5. Sic dicit Luc. 21. In patientia vestra possi-  
debitis animas vestras, id est, Deus ordinabit, quod  
nostra patientia vincet tyrannidem, 2. Cor. 6. In mul-  
ta patientia. Tumultuetur mundus quantum ve-  
lit, si Deus pro nobis, quis contra nos? Romanor. 8.  
Nos facti sumus velut oves occisionis, Psal. 43. id est,  
iam sic existimatur ab incredulis, Ita cum Christo in  
patientia ad poenam crucis parati esse debemus, &c.

Tertiò, querit B. Augustin. lib. de patientia, capit.

26. Aa

26. An schismatico etiam prosit sua patientia, quā patitur à Iudeis & tyrānis, id est, tribulationes, fames, nuditas, vincula, tormenta, gladius, flammę, & id genus alia, nè Christum neget. Non enim dicere possumus, quōd melius ei fuisset, vt Christum negando nihil horum pateretur. At etiam dicit Apostolus 1. Cor. 13. si tradidero corpus meū ità vt ardeam, nihil profest. Respondeo, nihil profest ad regnum cœlorum obtinendum, profest tamen ad extremi iudicij supplicium tolerabiliū subeundum Sic Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quām Corozaim & Beth-saidæ, & Sodomis remissius erit, quām tibi Caphernaum, Matth. 11. Sic non erit omnino vana patientia hæreticorum. Et capite 27. Sunt quædam dona Dei, quæ solūm hæredibus regni conferuntur, vt remissio peccatorum, Spiritus sanctus, salus æterna. Hæc enim cohæredibus Christi donantur, Roman. 8. Sunt alia dona varia, sanitas, diuitiae, honores, fortuna, scientia, sapientia, fortitudo, patientia, castitas, longanimitas, & cæt. Hæc etiam gentes dona habuisse certum est. Habuit Aristoteles iustitiam, Plato amorē diuinitatis, Cicero eloquentiā, &c. Sic Abraham dedit filio suo Isaac omnē censem, id est, hereditatem, filijs verò, concubinarum, dedit munera, & diuisit eos ab Isaac filio suo. Sic alia sunt dona hæredum, alia ex hæredatorum &c. Nostra autem patientia in uirtute Ecclesiæ efficax est, &c.

## DE ANTICHRISTO.

## TITVLVS CCLXXXIII.



Rimò, Antichristus sic dicitur, qā Christo in cūctis contrarius erit & contraria faciet. Christus venit humilis: ille ve-  
niet superbus. Christus venit humiles eri-  
gere, peccatores iustificare: ecōtrà, ille  
humiles deiiciet, & peccatores magnificabit, semper  
vitia